



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

V.8. Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Et ut
inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

inunctus sentio in intellectu meo majori perfuso luce magnam facilitatem, in voluntate alacritatem, ut me tibi perfecte uniam. Sanguine tuo pretioso ebria, anima mea te unum sirit, rerum cæterarum ne meminit quidem, & nil scit, nec cupit nisi te.

V. 8. Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vite mea. Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

Paraphrasis.

NEC potentiam tuam tantum securus, & liberalitate in sacro hoc convivio exhibitam hilaris, sed semper & ubique misericordiam tuam fretus, quæ lateri meo comes & dux fida adhæret, pericula omnia omnibus vitæ diebus & restantibus adhuc vitæ meæ minutis salvus evadam. Hanc tuam me fulciantem misericordiam felicem obibo mortem, quæ janua ad cælum erit. Ubi nullis temporum circulis definitam quiete perfruar. Hoc spero mi JESU, & sic inter te sacrum Eucharistiæ epulum instituentem, & me ultimo eodem refectum parallelum erit. Tu id instituisti, in qua nocte tradebaris. Ego id sumpsi, dum tradar Ministris justitiæ tuæ duccendus ad tribunal. Tu id instituisti, dum venit hora, ut transires ad Patrem. Ego id sumpsi, antequam ad te, ut spero Patrem, non irreconciliabilem per totam æternitatem Judicem transirem.

Potest etiam prælegi pro piis affectibus elicendis Psalmus trigésimus nonus, præcipue ab

illis verbis : *Tu autem Domine nē longē facias misericordias tuas à me , usque ad finem. Item Psalmus quadragesimus primus.*

Extrema Unctio.

I*nfirmatur quis in vobis (græcus textus est, periculosè quis decumbit) inducat Presbyteros Ecclesia, & orent super eum (hic indicatur forma) ungentes eum oleo in nomine Domini (hic indicatur materia) & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Ep. Jac. v. 14. & 15. His verbis indicantur tres effectus hujus Sacramenti. Primo. Salvatur infirmus quoad corpus teste Trid. Si id ei ad salutem suam æternam expedit. In tantum etiam quoad animam salus infirmo obvenit per hoc Sacramentum, quod ex opere operato conferat gratiam & auxilia ad resistendum Dæmoni, & felicem transitum è vita temporali ad æternitatem procuret. 2do. Alleviatur infirmus per hoc Sacramentum, quia accipit solatium, levamentum, si non in doloribus corporis, certè in angustiis animi. Cum conferat vires & gratiam ad plenam in divinam voluntatem resignationem. 3tio. Vi hujus Sacramenti imprimis remittuntur venialia, & pœnæ etiam temporales (quot, Deus novit (ob peccata mortalia jam remissa adhuc restantes. Dein si quis peccati adhuc mortalis reus confiteri non possit (in quo casu debet, dum suscipitur hoc Sacramentum, præmitti saltem attritio) vel ex ignorantia inculpabili fecit Confessionem*
inva-